

PSYCHOSCOPIA
METAPHYSICA,

Quam

Benevolo Indultu

Amplissimi & Spectatissimi

SENATUS PHILOSOPHICI

Sub PRÆSIDIO

VIRI

*AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI ET PRÆ-
CLARISSIMI*

DN. JOHANNIS ZEISOLDI,

Philosoph. Natural. P. P. Honorarii celebra-
tissimi, Ampliss. Facultatis suæ SENIORIS

& hodiè DECANI spectabilis,

Dn. Doctoris & Patroni nullo non honoris &
observantiæ cultu æternùm devenerandi,

In

ILLUSTRI JENENSIUM ATHENÆO

ad diem Julii

Disquisitioni publicæ subjecit

VALENTINUS *Beltkem*

HALLENSIS SAXO. AUCTOR.

Coll. diss. A
138, 52

J E N Æ,

Literis JOHANNIS NISII

MDCLXXV.

12.

a. CXXXVIII. 52.

SENATVS PHILOSOPHICI

DR. JOHANNIS ZEISSOLDI

Philosophi honoris causa
eiusdem Auctoris Philo-
sophi in SENATORIS




DR. DOCTORIS & PATRONI nulli non honoris &
obsequium cum incrementis honorabilibus

MAESTRI JENNISII ATINIO

Disquisitione publica habita
V. ALBERTINI S. G. G. G.
HALLENSIS 27. 1700.

F. W. E.
Licitis Johannis Nisi
et loc...



PROOEMIUM!



Vod bonum esse jubeat *Summus rationis
nostra Director*, PSYCHOSCOPIAM
METAPHYSICAM instituimus! Esto

§. 1. Moris est, ut qui difficilem illam, il-
lustrem tamen futuroq; Theologo non parùm
utilem *anima Divini illius l. 1. de anim. c. 4. t. 66.*

contemplationem aggrediuntur, statum ejus prænotent dupli-
cem: Unum informationis seu conjunctionis, quo anima ratio-
nalis reali naturali que unione corpori humano unita, facit unum
ὁμοίωμα physicum: Alterum separationis, seu ut alii vocitant
dissolutionis, quo anima à corpore separata seu dissoluta seorsim
sine ullo domicilio existit: Nos antequàm aliquam animæ nostræ
ἁέσιν spectemus, meritò in ejus esse absolutum, quod respectivo
prius est, inquirimus.

§. 2. Est autem anima rationalis absolutè considerata nihil
aliud, quàm Substantia immaterialis, finita, incompleta, simplex,
intelligens & appetens. *Vid. Comm. Conimbr. tract. de anim. sep.
Disp. 1. de natura animæ rationalis. Mendoza de animâ Disp. 2. &
Anton. Ruvio tract. de an. sep. quest. 2.* Hæcque natura animæ no-
stræ una perpetuò est & manet, nec ullo modo mutatur, seu illa
per unionem essentialem naturalemq; cum corpore actuationem,
ut forma specifica & actus substantialis existenti supposito, inexistat,
seu separata seorsim existat, seque habeat per modum per se
subsistentis. | Essentiæ enim rerum sunt æternæ, non quidem ita,
ac si semper actu fuerint, prout *Henricus, Capreolus* alii que volue-
runt, sed quòd cum iis, (uti *Suarez, Mendoza* & plerique alii ex-
ponunt) quorum sunt essentiæ, perpetuam connexionem habe-
ant, vel, quia, ut *Nominales* loqvuntur, perpetuò habent esse pos-
sibile. Quo de accuratè videri potest omni elogio major *B. Stab-
lius Reg. Phil. part. 1. Disp. 1. reg. 6.*

A 2

§. 3. Hæc

§. 3. Hâc igitur immutabili animæ rationalis essentiâ attractâ & præsuppositâ quasi, jam non solliciti erimus de statu ejus conjuncto, quomodo nempe natura animæ pluribus individuis communis iisdemque realiter identificata, corpus ad perfectum esse speciei humanæ actuet? sed ad alterum potius statum progrediemur, pro modico nostro captu publicæ placidæque ventilationi eundem submissuri.

§. 4. Ante omnia autem non possumus non in initio notare separabilitatem animæ, realem sc. & positivam. Fortè enim reperiantur nonnulli, qui licet resurrectionem mortuorum non negent, animam tamen vel cum Arabicis, quorum *Eusebius lib. 6. Histor. Eccles. c. 27.* meminit, aliisque, quos apud *B. Gerbardum tom. 8. tract. de morte c. 7. §. 149. p. 90.* longo ordine enumeratos conspici licet, simul cum corpore interituram divinitus excitatum iri, vel singulari eoque supernaturali modo à DEO post separationem conservari, adeoque ex naturâ suâ inseparabilem autument. Pro quorum sententiâ sequentia adferri possunt: 1. Quæc. naturâ sunt simul, eorum unum ab altero naturaliter inseparabile est. Anima rationalis & corpus humanum sunt simul naturâ. E. Min. prob. quia anima rationalis tanquàm forma, & corpus humanum tanquàm formabile sunt relata. 2. Quicq. secundum naturâ suam est essentialis perfectio alicujus, id ab eo naturaliter est inseparabile. Anima rationalis &c. E. 3. Quicq. nequit operari extra materiam, illud in operando ab eâ dependet & per consequens à materiâ naturaliter est inseparabile. Anima rationalis. E. Min. prob. ex *Aristotelis l. 1. de animâ c. 1. t. 12.* Maximè autem (inquit Philosophus) ipsum intelligere, proprium ejus (animæ) videtur esse, quod si hoc sine imaginatione non sit, neq; ipsum sine corpore esse potest. 4. Quicquid contingenter alicui competit, illud ipsi non est essentialis, & sic non convenit ipsi ex naturâ suâ. Separabilitas animæ contingenter convenit. E. ipsi nō est essentialis, & per consequens anima ex naturâ suâ non est separabilis. Major omnium Logicorū ore confirmata est. Min. prob. ex statu hominis autem lapsum. Nam, si homo non peccasset, ob perfectam corporis sui dispositionem aptamque qualitatum harmoniam fuisset inseparabilis. Hinc quemadmodum homo contingenter peccavit, ita & separabilitas animæ contigit.

§. 5. An-

§. 5. Antequàm respondeatur, prænotamus separabilitatem animæ rationalis facili negotio demonstrari posse ex independentiâ ejus à materiâ. Nam cùm anima spiritualement essentiam habeat, quod Script. S. toties inculcat nobis, quoties eam à DEO post mortem recipi docet) eam expertem omnis materiæ, & sic per essentiale consequens ab omni materiâ separabilem, quis negabit? Contradictionem enim implicaret, Spiritum esse inseparabilem à materiâ, cùm sic Spiritus materialis evaderet. *Vid. Excellentissimus Dn. Præses in tract. de consens. & diss. Aristotelis cum S. S. Diss. 5. Theor. 1.* Quanquam & separabilitatem animæ clarissimè indicent operationes ejusdem inorganicæ, atque à materia planè separatæ. Nullum enim potest nominari organum corporeum, per quod intellectus noster intelligat, aut in quo opereatur. Et posito, intellectionem talem dari posse, quæ per organum corporis exerceri debeat, sanè haberet illud hæc intellectio à suo principio, aut non: Si non, neq; esset operatio animæ, quoad id, quod non haberet à potentiâ animæ; Si ita, E. non excedere posset principium, à quo haberet. Jam verò principium seu facultas illa est *αἰσθητικὴ*, sincera, pura, impermixta, h. e. cum nullo organo permixta, sed ab omni soluta, uti *Philosophus lib. 3. de anima c. 4. t. 4. 6. 7. 13. l. 1. c. 2. t. 31. l. 1. Metaph. c. 7. t. 18.* aliisque locis accuratè loquitur, quod Thomas probè declarat, quando, *Impossibile est*, inquit, *quòd intellectus intelligat per organum corporeum, quoniam etiam natura determinata illius organi corporei prohiberet cognitionem omnium corporum.* *Vid. part. 1. quæst. 75. art. 2.* Nam materiale illud organum, in quo intellectus resideret, limitatum esset ob suam imperfectionem, ut ita cuivis corporeæ entitati percipiendæ intellectus haud foret indifferens. Sed plura dicturi sumus, quando de immortalitate animæ sermo erit. *Vid. Dd. antè citati, in primis verò B. Scheibler. lib. 2. Met. c. 3. tit. 2. artic. 4. n. 22. & 23.* Ad argumenta §. 4. proposita facilis est responsio.

αἰσθητικὴ

§. 6. Ad 1. Resp. limit. Maj. Q. naturâ sunt simul, illa in eo respectu, quo simul sunt, sunt inseparabilia. Sic conced. totum. Anima enim ut forma inseparabilis est, non enim est forma, nisi ut forma in corpore, est tamen separabilis, ut spiritus à cor-

A 3 pore

pore nullo modo dependens. Ad II. Resp. lim. Maj. Q. secundum naturam suam est perfectio alicujus, illud secundum illam naturæ perfectionem est inseparabile. Sic conced. totum argumentum. Manet tamen naturaliter separabilis anima, quatenus respectum importat ad causam sustentantem & conservantem. Ad III. Resp. conced. iterum, si per dependentiam intelligatur dependentia non instrumentalis & causativa, sed objectiva. Est enim animæ intellectio sine corpore ut organo, non tamen sine corpore ut objecto: Cùm objectivum principium intellectio- nis animæ in corpore sit phantasma. Porro ad consequentiam, indè ductam R. lim. Q. in operando dependet à materiâ sc. organicè vel etiam causativè, &c. sic neg. min. ut jam ostensum fuit. Autoritatem Aristotelis quod attinet, dicimus Aristotelem ibi loqui de animæ, ut sc. est corpori unita, à phantasmate dependentiâ, & quidem solùm in speculatione rerum sensibilium, quoad primam originem; quemadmodum ex *l. 3. de animâ c. 8. §. 39.* abundè constat. In contrarium innumeri ferè textus producerentur, si nostri id instituti foret. Vid. interim *Excell. Dn. Præses in conf. & diss. Diss. 5. Theor. 7. & Diss. 9. sect. 6. Artic. 2.* Ad IV. R. Neg. min. Quod probationem attinet, dicimus, corpus humanum in statu innocentiae æquè ac in statu integritatis fuisse corruptibile, h. e. fuit tale quid, quod potuit corrumpi potentiâ sc. radicali & remotâ, quæ est penes materiam primam, hæc enim *δύναμις τῆς αὐτοφάσεως* in se continet, imò ipsa *δύναμις* est. Vid. *aviter Venerandus Senior noster Diss. 9. cit. articuli septimi §. 27.* Accuratissimè hoc docet *Vir celeberrimus & de Ecclesiâ Christi meritissimus B. Gerhardus l. c. c. 2. §. 42. p. 24. seqq.* Ut autem immortale variis modis accipitur, ita quoque mortale. Dicitur enim aliquid mortale vel ratione potentie remotæ, vel ratione potentie propinque. Priori sensu illud dici potest mortale, quod cùm sit ex materiâ elementari compositum, remotam in se habet resolubilitatis ac proindè etiam mortalitatis potentiam, quamvis illa *δύναμις* durante illo rei statu, nec ad potentiam propinquam, nec in actum deducatur. Eo modo corpus primi hominis ante lapsum fuit mortale. Posteriori sensu mortale dicitur, quod potentiam moriendi propinquam in se habet, adeoque ad corruptionem naturaliter propendet, quæ naturalis inclinatio ad a-

ctum

Etum tandem deducitur. Hoc modo corpus primi hominis demum post lapsum esse coepit. Hinc R. per inversionem h. m. Quicquid ex natura sua est separabile, eidem separabilitas non contingenter competit. De anima rationali prius est verum. E. & posterius. Probatum prius hoc prosyllogismo: Si corpus humanum semper ex natura fuit & adhuc est corruptibile, etiam anima semper ex natura sua fuit separabilis. Atqui prius est verum. E. & posterius. Maj. patet ex independentia animae a corpore. Min. ex B. Gerhardi disertis verbis jam inclaruit.

§. 7. Nunc ad ipsam animae separationem progredimur. Ut autem nostra Psychoscopia facilius procedat, ipsam separationis doctrinam praemittemus. Est autem Separatio juxta Dd. Conimbr. Disp. 2. de an. sep. art. 1. Scheibl. l. 2. Metaph. c. 5. tit. 3. art. 1. n. 38. & seq. B. Stabl. quest. Log. 17. §. 7. alia mentalis, quae fit sola operatione intellectus, alia realis, quae juxta Dd. cit. in pref. Porpb. quest. 5. art. 1. est, cum unum ab alio reipsa sejungitur. Estque vel positiva, quando utrumque separatorum manet, vel privativa, quando unum eorum interit. Nos missis aliis, solam separationem realem (naturalem) positivam animae consideraturi sumus. Nam quod posteriorem spectat separationem, dicimus, animam secundum conceptum non posse separari ab omni materia, quia ad naturam animae spectat, quod sit incompleta, & ideo semper in conceptu suo involvit respectum aliquem ad corpus tanquam materiam informabilem, in quocunque etiam constituatur statu.

§. 8. Hic vero inter Philosophos imprimis de rationale formali separationis disceptatur, in quonam proprie & formaliter ea consistat? Nos jam non detinebimur in recensione variarum opinionum, sed producemus sententiam nostram, quam ad manuductionem Dd. Conimbricensium tr. de Anima separ. disp. 2. artic. 1. B. Scheibleri lib. 2. Metaph. c. 5. Tit. 3. art. 1. Excell. Ebelii Coll. Metaph. spec. disp. 7. sect. 3. art. 1. & aliorum, exercitii gratiam jam arripimus. Commodius vero mens nostra explicabitur, si prius oppositum separationis, quod est unio animae cum corpore, consideraverimus. Est autem ea nihil aliud, quam modus, animae & corpori tanquam partibus uniendis superadditus, quo ve-

luti

Auti medio, anima corpori humano legitimè disposito unita illud
actuât & informat, ut ex eo tanquàm potentiâ, & animâ tanquàm
actu fiat unum suppositum. Licet igitur, illa unio ubi datur, res
unitæ etiam præsentés sint, non tamen in illâ præsentia ubica-
tivâ, seu approximatione eandem formaliter consistere dicimus,
ita, ut tunc anima dicatur unita esse corpori, cumque eo consti-
tuere compositum, quando corpori præsens est, inque eodem o-
peratur. Nam si per hoc anima uniretur corpori, etiam Diabo-
lus, in homine obsessio degens, imò omnes sæpè operationes ani-
mæ subigens, suppositum incarnatum constitueret, quod auditu
horrendum atque absurdissimum: sed consistit unio ex parte ani-
mæ in actuali materiæ legitimè dispositæ informatione. Quod
Cajetanus in comment. 1. Thom. quæst. 76. art. 1. demonstrat & tan-
dem concludit: *unionem formæ ejusque informationem formaliter
unum idemque esse.* Hæc enim ratione nullus alius Spiritus, sive
finitus sit sive infinitus, cum corpore uniri potest, quia sic redde-
retur incompletus, imò per se insubsistens, quod totam ejus na-
turam everteret. Nec est, quod excipias, animam rationalem
corpori non posse uniri, nisi eidem præsens sit: propter hoc e-
nim præsentia illa non ratio formalis, sed conditio quasi sine quâ
non dicenda videtur. Sic e. g. ut ignis calefaciat aquam, pro-
pinquitas requiritur aquæ, quis verò dicet, propinquitatem illam
esse rationem formalem calefactionis? conditio aliqua est, quæ
præsupponitur.

§. 9. Hinc, quoniam unio & separatio juxta *Dd. cit. Diss. 2.
art. 1.* privativè opponuntur, separationem formaliter non in ab-
sentia, sed in privatione illius unionis seu desistentia consistere
patet. Indubitato quidem ex verbo DEI revelato credimus duo
tantùm animarum $\psi\upsilon\chi\omicron\delta\omicron\chi\epsilon\iota\alpha$ seu receptacula, quorum unum
animabus piorum præparatum, communissimâ appellatione cœ-
lum, alterum animabus impiorum destinatum, infernus vocatur,
de quibus prolixè videri potest B. Gerhardus, l. 6. inque hæc singu-
las animas in morte hominis ilicò deferri, nec unquàm usque ad
extremum diem corporibus præsentia fieri, certum est, ceu ex S.
Theolog. præsupponimus; Interim tamen nihil absurdi inde col-
ligitur, nullâ etiam ex parte animæ repugnantia datur, si dici-
mus,

mus, animam separatam quamcunque naturaliter in corpore consistere posse, imò eandem, postquam discesserit à corpore, corpus, quamdiu putredine non corrumpitur, iterum posse ingredi. Est enim anima separata spiritus; omnis verò spiritus corpus quodcunque illud sit, ex naturâ suâ penetrare, eidemque ubi-rativè etiam inesse potest. Quemadmodum enim Deus ut spiritus infinitâ suâ essentiâ omnia corpora (non inclusivè tamen, h. e. ut in illis includatur) ut unum ubi replet, ita etiam animæ rationales, cum sint spiritus finiti, expertes omnis divisibilitatis, *omne enim non habens materiam est indivisibile, l. 12. Metaph. c. 9. t. 51.* in quocunque ubi aptæ sunt, esse definitivè, ita ut indivisibiles sint in loco divisibili.

§. 10. Obstet aliquis assertionem nostrâ labefactari Articulum fidei: Nam si anima separata naturaliter ingredi potest corpus, sequitur resurrectionem mortuorum naturalem esse. Verùm tanti ponderis non est, ut assertum deprimat. Aliud enim est, dicere animam separatam posse redire ad corpus, aliud corpori naturaliter uniri posse. Illud possibile est, non hoc. Nam sanè anima rationalis non constituit vel restituit suppositum, corpori indisposito reinexistendo, sed intimè omnes corporis legitimè dispositi partes rursus actualiter informando; Quod posterius anima ob privationem dispositionum naturaliter facere nequit, cum à privatione ad habitum naturaliter regressus non detur. Quòd si verò corpus de novo iterum per absolutam DEI Omnipotentis potentiam dispositum fuerit, resurrectio fieri posset, sed non nisi modo supernaturali & imperscrutabili fieret, quo DEUS corpori pristinas dispositiones & organizationem restitueret, ut ad recipiendam suam formam fieret habile. Stat ergò perpetuus Articulus fidei, stat etiam firma nostra sententia.

§. 11. Hoc adhuc notamus, aliam esse separationem activam, aliamque passivam. Illa est DEI dissolventis unionem, & animam ad se recipientis vel suscipientis: Quæ separatio *1. Reg. 19. vers. 4. Jon. 4. vers. 3. Job. 27. vers. 8.* & alibi, ut & ab ipso Salvatore nostro *Luc. 23. vers. 46.* indigitatur, & de eâ jam non agimus. Videri potest *B. Gerbardus loc. cit. c. 7. §. 140.* quando ita differit: *In morte anima à corpore separatur, ac redit ad Deum, cujus judicio sistitur, à quo vel sanctis Angelis deferenda in cælum, vel*

B

malis

malis Spiritibus detrudenda in infernum traditur; sed loquimur de passivâ, quæ nihil aliud est, quàm privatio actus secundi animæ seu actualis informationis.

§. 12. Obiter hîc quæstio sese offert, num separatio animæ successivò tempore, an verò in uno peragatur momento? Sunt, qui, licèt animam ob immaterialitatem suam indivisibilem esse statuunt, illam tamen, ideò quòd per realem suæ indivisæ essentiæ præsentiam omnibus atque singulis corporis partibus divisibilibus inexistat, ab unâ post aliam abscissâ ob indivisibilitatem suam in alias partes retrahi, & sic successivè à corpore separari putant. Verùm hæc sententia nobis non placet; Fundamentum enim hujus saltem evincit, animæ retractionem ab unâ parte in aliam secundùm effectum, seu quòd anima partem abscissam, cum quâ hætenus uniebatur, non amplius actuet, non verò secundùm essentiam, quòd *ἀποφασίς* largimur: Neque enim anima est actus abscissæ partis, nec ad ejusdem, sed ad totius corporis organici actuationem est ordinata. Et quæ anima rationalis, ut Spiritus à parte ad partem retrahibilis dici potest, cum saltem informativè, ut ita loqui liceat, non verò extensivè corpori præsens sit, neutiquam corpori coextensa. *Vid. Exc. Dn. Slevogtius Diss. Theor. 15. §. 44. p. 337. & Amplissimus Dn. Praeses in Disput. de Formis § 35.* (Per hoc enim Spiritus à corpore contradistinguitur, quòd Spiritus sit inextensus & indivisibilis, corpus autem utrumque admittat.) Imò ipsi contrariæ sententiæ defensores indivisibilitatem animæ largiuntur; Jam verò quicquid est indivisibile, illud non potest esse extensum, quia extensio radicaliter est ipsa divisibilitas. *Vid. Suarez. tom. 2. Diss. Met. 40. sect. 1. & 4. Mendoza Diss. Met. 13. sect. 4. §. 22. & Autores alii, quos citatos vide apud Ebel. Colleg. Met. spec. Diss. 8. sect. 2. artic. 1.* Philosophando hîc aliqui se extricare volunt, dum asserunt, aliquem Spiritum posse extensum esse, licèt sit indivisibilis: Nimirum distinguunt inter extensionem entitativam (secundùm quam aliàs multi corpora, etiam separatâ divinitus ab iis quantitate, extensa esse putant) & quantitativam, hincque dicunt, non per illam, sed per hanc Spiritum à corpore distingui. Sed nos, cur hanc sententiam tanquàm erroneam rejiciamus, in conflictu ostensuri sumus.

§. 13. Di-

§. 13. Dicimus igitur separationis actum in instanti absolvi, ita ut anima, ideò quòd in divisibilibus indivisibiliter existat, in momento forma hominis esse desinat.

§. 14. Nunc ad ipsum animæ separatæ statum perveniendum est. Existentia autem hujus status patefiet, si immortalitatem animæ ostenderimus. Nam, Quicquid est immortale & post mortem superstes, illud necessariò existit in certo aliquo statu. Anima rationalis est immortalis. E. Min. ut ipsius Salvatoris *Matth. 10. vers 28.* ita de fide certissima est, *Vid. B. Gerhardus loc. cit. §. 141. de immortal. anima & seqq.* Nos eandem aliquot argumentis ex lumine naturæ petitis probabimus.

§. 15. I. Quicquid immune & liberum est à potentia contradictionis, illud suâ naturâ est immortale. Anima rationalis &c. E. Maj. patet: Quemadmodum enim omnem corruptibilitatem ex materiâ suâ oriri certum est, utpote quæ *δύναμις* est τῆς ἀλλοφάσεως *l. 2. de art. & int. c. 9. t. 51. lib. 1. de cæl. c. ult. t. 136. l. 7. Metaph. c. 7. t. 22. & t. 53.* Est enim natura materiæ, ut id, quod ex eâ constituitur, contingat esse & non esse: ita ex opposito, quicquid omnis materiæ expers est, est immortale. *Vid. Excellentissimus Dn. Praeses Instit. Pbyf. lib. 1. sect. 3. art. 2. punct. 9.* Minor ex §. 5. præced. inclaruit. Pulchrè hanc rem tetigit *Thomas*, quando *part. 1. quest. 75. art. 6.* *Non invenitur corruptio, insit, nisi ubi invenitur contrarietas. Generationes enim & corruptiones ex contrariis & in contraria sunt: Vnde quæ non habent materiam contrarietati subjectam, incorruptibilia sunt.* Et paulò post: *In animâ autem intellectivâ non potest esse contrarietas: Recipit enim ea, quæ recipit secundum modum sui esse. Ea verò, quæ in ipsâ recipiuntur, sunt absque contrarietate, quia etiam rationes contrariorum in intellectu non sunt contraria, sed est una scientia contrariorum:* Impossibile E. est quòd anima intellectiva corruptibilis sit &c. Ne verò quis excipiat ad Majorem; animam potentia contradictionis obnoxiam esse, ideò, quòd dum ab æterno non extiterit, in productione ejus mutatio à non esse ad esse fuerit facta. Etenim accuratè *Amplissimus Dn. Praeses l. c. punct. 4. §. 176 & seqq.* respondet, hanc propriè & formaliter mutationem dici non posse, quia omnis mutatio propriè sic dicta requirit ex naturâ suâ subjectum, in quo fiat & sustentetur.

§. 16. Dicis : Conceditur , animam rationalem habere principium productionis suæ : Quid ergò obstat, quin non etiam habere possit suum finem, & per consequens ex naturâ suâ sit mortalis. *ꝛ.* hæc sequela mala est : Nam illud principium animæ nihil aliud est, quàm nuda non repugnans potentia à DEO in actum producibilis : Hæc ipsâ igitur, quâ producta fuit, actione anima quoad esse suum à DEO conservatur, & sic, si Deus eandem, ut Scholastici loqui amant, suspenderet, desineret anima, inque nihilum redigeretur : Fit ergò anima ob dependentiam à causâ increata annihilabilis quidem, non tamen mortalis, ideò, quia in se non modò nullum corruptionis principium habet, ut jam ostensum fuit, sed & à nulla causa naturali, imò nec ab ipso Deo destrui potest, ita ut aliquid ejus remaneat.

§. 17. Hinc fluit secundum argumentum : Quicquid naturâ suâ tale est, ut non nisi per annihilationem destrui possit, illud ex se & suâ naturâ est immortale. Anima rationalis suâ naturâ talis est &c. E. Anima rationalis ex se & suâ naturâ est immortalis. Major probatur : quia annihilatio (quæ nihil aliud est quàm conservationis cessatio) supernaturale quid est, neque fieri potest, nisi per absolutam Dei potentiam. Et posito per impossibile, ut loqui solent, fieri posse per agens naturale, sanè illud aut esset ipsa anima, aut aliud extra animam. Non illud, quia, si anima seipsam annihilaret, necessum foret, ut antea seipsam sustentârit : Quod tamen est ἐξ ἀδυνατῶν, quoniam sustentatio à creatione realiter non distinguitur. *Vid. Thomas part. 1. quæst. 104. Art. 1. p. 407. Suarez tom. 2. Dissp. 21. sect. 2. p. 496. Autores alii ab eodem citati.* Hinc si anima se sustentâisset, etiam seipsam creâisset, quòd non modò contradicit verbo Dei, sed & absolutè fieri nequit, quia nihil est suiipsius causa. Non hoc, quia nulla creatura in aliam ita influit, cum influxus talis sit opus solius Dei, ut prolixè ostendit *Suarez loc. cit. Sect. 3.* Manet ergò, animam non nisi à Deo per subtractionem influxus cessabilem esse, minimè verò mortalem.

§. 18. Ultimò ex his jam dictis ita argumentamur : Quicquid ex naturâ suâ est mortale, illud habet aliquid, quod est causa mortalitatis. Anima rationalis non habet aliquid, quod est causa
morta-

mortalitatis. E. Anima rationalis ex se & suâ naturâ est immortalis. Maj patet, nihil enim potest esse sui ipsius causa. Minor nostra tamdiu vera est, donec probetur, dari aliquid in animâ nostrâ rationali, quod sit causa mortalitatis.

§. 19. Dicis: Compositionem esse corruptibilitatis causam: Est enim anima rationalis composita ex essentiâ suâ & potentiis. Non enim anima sive unita sive separata seipsâ intelligit, sed intellectu suo; neque vult, nisi voluntate suâ, præsupposito scil. influxu Dei conservativo. R. concedendo, compositionem esse causam corruptibilitatis sc. realem seu physicam: Jam verò anima ex essentiâ & potentiis physicè haud componitur, quia ad compositionem realem extrema realiter distincta requiruntur, potentiæ verò ab anima realiter non differunt. *Vid. acutissimus Slevogtius Diss. Theor. 23 de identitate potentiæ vitalium cum animâ sect. 2. concl. 2.*

§. 20. Plura argumenta produceremus, nisi obstaret ipsa veritas omnium ferè Philosophorum consensu comprobata. *Vid. Thomas part. 1. quest. 75. art. 2. & 6. & Cajetanus in b. l. Dd. Conimbr. tr. de anim. separ. Diss. 1. artic. 3. Mendoza Diss. 18. de animâ separ. artic. 2. Ruvio tract. de anim. separ. q. 4. Franc. Murcia comm. in l. 3. de an. tract. de animæ immortalitate Diss. 1. q. 1. p. 159. Toletus in lib. 3. Aristotelis de an. c. 5. quest. 16. it. Exc. Ebelius coll. Met. spec. disp. 7 sect. 2. art. 1. Calixtus in tract. de immortal. animæ, & alii plures, imprimis ipse Philosophus l. 1. de an. c. 4. t. 65. & seq. 2. lib. c. 2. t. 21. 3. lib. c. 5. t. 20. multisq; aliis locis.* Multi quidem Auctores à Dd. citatis recensentur, qui Aristoteli contrariam sententiam affingunt, optimè tamen defensus conspicitur apud *Dd. cit. præprimis Toletum in l. c. quest. 15. & Ampliss. Dn. Præsidentem in tr. de Conf. & Diss. Diss. V. Theor. 8. & IX. artic. 2.*

§. 21. Non igitur Anima rationalis interit, quia interitus & corruptionis omnis expers est; neque in fumum abit, quia simplex est; neque in aliud corpus transit, quia, si in aliud corpus transit, aut transiret in corpus bruti, aut hominis. Non illud, quia forma non est, nisi in corpore aptè pro ipsâ dispositò, ipsique speciei, quam constituit, recipiendæ habili. Imò posito; corpus bruti aptum esse, quærimus ex iis, qui à partibus stant Epicuræorum,

B 3

quod-

quodnam ex illa conjunctione suppositum prodeat, sanè non brutum, quia non habet formam specificam illius bruti, non homo, quia non habet corpus hominis. E. brutum rationale vel homo irrationalis, quod absurdissimum. Neque hoc, quia illud corpus aut esset hominis vivi, & sic non posset recipere animam aliam ut formam, quia unius rei una numero ultima datur forma. Aut esset hominis mortui, & sic etiam foret impossibile, quia corpus indispositum informari non potest: Aut esset corpus noviter productum, sed sic, quia omnis individuatio alicujus compositi, ut Metaphysici tradunt, potissimum à formæ individuitate pendet, corpus illud numero diversum, non esset numero diversum, quod implicat. *Fid. Scheibl. lib. 2. Met. cap. 5. tit. 2. & B. Slevogtius in Disput. de Metempsychosi Judæorum, imprimis §. 26. & seqq.* Patet ergò, animam rationalem separatam in certo quodam existere statu.

§. 22. Acris hîc agitur controversia: An status hic ipsi animæ naturalis sit? Prænotandi hîc sunt celebres, magnumque disquisitioni nostræ usum afferentes termini: secundum naturam, præter naturam, contra naturam, supra naturam. *Secundum naturam* ea esse vel fieri dicuntur, in quibus ea servatur ratio & ordo, quem cujuslibet rei natura specifica exigit, sic homo secundum naturam dicitur corruptibilis. *Præter naturam* ea eveniunt, quæ quidem fiunt ab extrinseco principio, aliter ac eorum natura requirit, non tamen id repugnat eorum naturæ, nec illi vim infert. Sic præter naturam hominis est, sextò nasci digitò. *Contra naturam* fiunt ea, quæ per violentiam fiunt, contranitate alterius naturæ: ut, jactus lapidis in altum. Denique *supra naturam* fiunt, quæ nec viribus naturæ, nec secundum fixas naturæ leges fiunt, sed à causâ primâ peculiari quodam modo aguntur, sine ullâ causarum secundarum repugnantia. Ex his facile colligere est, quot, & quibus modis naturale à nobis accipiatur, Nunc dicimus.

§. 23. I. Status separatus animæ non est supernaturalis, quod ex Autoribus infrà citatis prolixè ostensum videri potest. *B. Scheibl. lib. 2. Met. c. 5. art. 3. assert. 1.* hanc nostram positionem probat h. modo: Si animæ rationali status separatus supernaturalis esset, tunc

non

non alio modo existeret, quàm si forma in morte bruti persisteret separata. Cùm enim tales formæ exigant (indiciò sumptò ex earum operationibus) dependentiam & connexionem ad materiam, utique eâ (materiâ) remotâ interirent, nisi aliunde eæ per specialem DEI actionem confirmarentur & quasi fulcirentur. Et sic animæ rationali non magis conveniret, posse esse in statu separato, ac animæ alii: Solùm esset differentia, quòd anima humana separaretur de facto, aliæ verò non. Sed hæc probatio non placet: Nam anima brutine quidem speciali DEI conservatione in statu separato existere potest. Quàm impossibile enim est, existere hominem absque rationalitate, tam impossibile est, formam bruti ex potentiâ materiæ eductam existere sine materiâ: quia, (ut *Ampl. Dn. Præses in Instit. Phys. lib. 1. p. 59. demonstrat*) tota essentia formæ materialis in hoc consistit, quòd à materiâ in esse, fieri & operari sit dependens. Per hoc verò nullus in DEO arguitur defectus aut impotentia, præsupponitur enim cum *B. Stabl. part. 1. Reg. Phil. Diss. 1. Reg. 6.* essentiam rei tam æterno & indissolubili nexu cohærere, ut propterea, quòd contradictionem implicet, ne ab ipso DEO quidem mutari possit.

§. 24. Hinc potiùs ita argumentamur: Si Status separatus animæ rationali supernaturalis est, aut erit ideò, quia ex naturâ suâ depēdet à materiâ, aut quia ex naturâ suâ est indepēdens ab eâ: Non illud, quia sic planè non existere potest, ut jam ostensum fuit: Non hoc, quia independentia à materiâ, per quam sine materia existere potest, est de essentiâ separatæ animæ, jam si existentia animæ extra materiam seu in statu separato esset supra naturam, ipsa natura & essentia animæ separatæ esset supra naturam, quod *ἀτοπov*.

§. 25. II. Status animæ post separationem non est contra naturam, seu non est positivè violentus. Notanter dicimus, *post separationem*: Nam separationem in fieri interdum esse violentam, dubio caret, veluti cum gladiò, laqueo cogitur quasi anima egredi domicilium, in quo diutius habitari poterat & habitasset, intuendo præexistentes corporis dispositiones. Probatum verò assertio nostra, 1. quia non datur aliquod agens extrinsecum, à quo anima in illo statu violenter detineatur, cùm, uti suprâ diximus, anima ex naturâ suâ potentiam ad statum separationis habeat,

beat,

beat, hinc, si status violentus foret, ipsa natura animæ foret violenta. Et certè, si extrinsecum agens illam detineret, sequeretur ei naturale fore, post separationem iterùm uniri corpori, quemadmodum, quia lapidi violentum est, detineri in loco superiori, naturale est ei sic detento, deorsum moveri: Sed animam separatam iterùm uniri corpori, est ipsum hominem jam per mortem extinctum resurgere, quod plusquàm falsum est, maximasq; absurditates fovet. Videantur pluribus *Mendoza loc. cit. & Anton. Ruvio tr. de an. sep. quest. 6. p. 534.*

§. 26. Dicis: Status separationis tamen est contra naturalem animæ inclinationem & appetitum, quem habet ad informandum corpus, & cum eo totum componendum. R. Videtur quidem speciosa hæc instantia, sed si modus informandi, in quo naturalis ille appetitus includitur, rectè attendatur, facilè apparet ejus falsitas. Nam quia anima rationalis corpori non nisi disposito unitur, ergò, quando illæ dispositiones per contrarias naturaliter expelluntur, etiam anima, quæ sine illis conservari nequit, naturaliter expellitur, & sic per naturalem consecutionem ab appetitu informandi absolvitur.

§. 27. III. Status separatus animæ non est præternaturalis. Ratio est, quia anima rationalis habet esse perpetuum & à corpore independens, etiã in suâ operatione. Ergò ex naturâ talis esse, est, quòd corpore (quod anima amissibili modò informavit & cui dissolubili & aliquando dissolvendo naturalis unionis modò unita fuit) solutò, in suo proprio esse perpetuò conservetur. Negatum hoc eunt *Conimbric. in diss. 2. artic. 2. & (quos Conimbr allegant) Henr. quodlib. 7. quest. 13. Ferrar. l. 2. contra gent. c. 83. It. Thomas 1. part. quest. 89. art. 1. p. 372. (quem tamen Ruvio loc. cit. ab hac opinione liberat) Cajet. in Thom. §. ad evidentiam hujus difficult. & c. Scheiblerus l. 2. Met. c. 5. tit. 3. art. 2. & 3. Ebelius Coll. Met. spec. diss. 7. sect. 3. art. 2. multique recentiores, inter quos ex Reformatis est Voet in app. Theolog. natur. §. 3. p. 607. Rationes, propter quas hanc positionem negant, palmaris sunt: 1. quia anima privatur aliquâ conditione sibi maximè connaturali, unione scil. actuali cum corpore, quæ ei ex primariâ naturæ intentione convenit. 2. quia anima essentialiter pars est, indeque eidem maximè naturale consti-*

constituere totum, quod non facit in statu separato. Sed respondeamus ad 1. ex Ruv. p. 537. negando, quod anima separata, ob id, quod corpus non informat amplius, neque actuale operationum principium est, possit dici privata aliquâ perfectione, quia privatio non est nisi rei debitæ; Informatio verò corporis in statu separato animæ naturaliter non debetur, nisi præsuppositâ in corpore ultimâ naturali dispositione: Jam verò animâ semel à corpore separatâ, nec possunt naturaliter induci convenientes in eam dispositiones, nec est agens in naturâ, quod possit attingere unionem ejus cum corpore. Quod verò secundum attinet, nihil inde absurdi sequitur. Non enim in hoc consistit essentia ejus, quod actu semper pars sit: Est enim pars corporis naturaliter corruptibilis & aliquando corrumpendi: Quemadmodum igitur mors & corruptio corporis per causas naturales eveniens naturalis est, ita & anima naturaliter pars essentialis esse definit; & ut per modum unionis naturaliter dissolubilem corpori unita erat, ita post corruptionem naturaliter existit soluta. Ad argumenta Aut. cit. quid respondeamus, conflictus, Deo volente, ostendet. Vid. *Ruvio loc. cit. & Mendoza disp. 18. sect. 4. p. 280. & alii.* Manet E. statum separatum animæ rationali maximè naturalem esse.

§. 28. Hæc de Separatione Animæ ejusdemque statu separato. Restat nunc, ut & operationes Animæ & quæ ad eas pertinent, leviter indigem. Verùm enim verò cum res sit prolixa & temporis ratio aliud suadeat, aliqua saltim, quæ restant, brevibus subjiciam Porismatibus.

I. Anima separata non quidem propriè per se subsistit, habet se tamen per modum per se subsistētis: Nam si propriè per se subsisteret, à se ipsâ differet essentialiter, quod implicat.

II. Animam separatam appetitum naturalem ad corpus habere, cum Thomâ, Conimbricensi. Ruv. Scheibl. & Ebelio dicimus, quicquid etiam Scotus, Ferrariensis, Bannes & alii velint.

III. Appetitus naturalis ab animâ separatâ realiter non differt.

IV. Animam separatam etiam appetitum elicitedum ad corpus habere cum Conimbr. & Scheiblero, contra Ruvionem & Suarezium statuimus.

C

V. Ani

- V. Anima separata ex naturâ suâ appetit impossibilia.
- VI. Anima separata naturaliter intelligit per species intelligibiles, quas in memoriâ intellectivâ secum retinuit.
- VII. Differunt memoria sensitiva & intellectualis 1. subjecto: Illius enim subjectum est sensus, hujus verò intellectus. Hinc ipse etiam Aristoteles eum *τὸ πρὸν τῶν εἰδῶν* l. 3. de an. c. 4. s. 6. vocat 2. cognitione: Illa sensualem promovet, hæc rationalem. 3. appetitu: Hæc non differt realiter à volitivo illa non differt à sensitivo. 4. modo reminiscendi: Facultas enim intellectiva potest meminisse se aliquando intellexisse, sensitiva hoc non potest. 1. quia nulla potētia inferior potest cognoscere actum superioris potentia. 2. quia reflexio hæc est tantum intellectus.
- VIII. Nulla datur species intelligibilis in memoriâ sensitivâ; quia nulla res spiritualis subjectivè inesse potest rei corporeæ.
- IX. Aliquid indivisibiliter rei divisibili præsens esse posse, rationibus ad oculum monstrari potest.
- X. Anima per separationem non mutatur.
- XI. Subsistentia tanquam modus creaturarum ab essentiâ earum differt realiter.
- XII. Subsistentia superaddit naturæ neque negationem, neque entitatem positivam, sive illa sit substantia sive accidens.
- XIII. Anima separata pro objecto cognitionis habet objectum non modò formaliter, sed & materialiter consideratum.
- XIV. Etsi Anima separata præter has, quas in corpore acquisivit & secum in memoriâ transportavit, etiam alias species (uti certum videtur) habeat, eas tamen non per opus intellectus agentis, neque per trajectionem ab Angelis factam, nec ullo alio modo quàm per infusionem à Deo accipere contra Scotum cum Ruv. & Conimbricensibus asserimus.
- XV. Anima separata citra specialem DEI concursum & se & alia corpora movere potest.
- XVI. Anima separata non cognoscit ea, quæ in terris fiunt, nisi per singularem DEI revelationem.
- XVII. Qv. Quonam modo Anima separata perfectius intelligat, an per species transportatas, an verò infusas?
- XVIII. Lumen gloriæ non tollit bonos habitus animæ, quos sibi acquisivit, dum corpori adhuc unita fuit.

Ad Humanissimum ac Præstantissimum
DN. RESPONDENTEM,
 Amicum & Inquilinum suum
 dilectum!

Dum cultor *SOPHIES* solerter dogmata tractas,
 Quæ cupidas animas exsatiare queunt:
 Grata quoque hæc eadem meditatur præmia
LAURUS,

Quæ **TIBI** cum claro *NOMINE* ritè dabit.
 Faxit *SUPREMUM NUMEN*, quo cuncta benignè
 Succedant; studiis multaque dona ferant.
Benevolentia testanda causâ faciebat.

Christianus Chemnitius, D. P. P.
 Pastor & Superintendens.

PRÆSTANTISSIMO DN. VELTHEM, SS. Theol.
 Cult. strenuo, Philos. **CANDIDATO** dignissimo,
Publicè disputaturo

FELICITER!

Nocte dieq; *Sophon* dum gestis volvere scripta.
 Offerè hinc Laurum prompta favensq; Sala.

Singulari benevolentia testanda L. M. Q. adjicit,
JOH. ERN. GERHARDUS, SS. Th. D. & PP.

DE separatâ mente diserit **VELTHEM**,
 et diserit doctissimè, illius vitam
 statumqve monstrans, & scientiæ dulcem
 miscens suadam. Quod profectò laudandum,
 et curiositatis est opus doctæ.

Hinc docticanus adplaudit ausibus Phœbus,
 diadema spondens aureum comæ doctæ.

fausta gmtulat. ergò scrib. fest.
Caspar Posner, Prof. Publ. ordin.
VIRO-

VIRO-JUVENI

à

Virtute, Ingenio, Eruditione

Instructissimo,

DN. VALENTINO Velthem/

Philos. Cand. Dignissimo,

De

STATU ANIMÆ SEPARATO

publicè disputaturo

S.

Quam pulcros Animos, foveas, quam dives in arte
Vel juvenis sies, comprobat hæc Anima.

*amicæ gratulationis
vice f.*

Georgius Gœzius,
Moral. P. P.

ANteMagisterium gestis de ponte Cathedræ
De MENTE alternis reddere verba notis,

Sic ANIMI dotes monstrabis, ut ampla brabæa

Apprenses gaudens, quæ meruere tuæ

Dotes. E fibris grator, mox jura MAGISTRI

Accipies lætus digna tuis meritis.

Hæc pauca

Per-Eximio atque Politissimo Dn. Velthem/
συνόικω atque Amico suo integerrimo
apposuit

M. Johannes Christophorus Hundeshagen/

Amplissima Facultatis Philosophicæ

Adjunctus.

E I N I S.

Coll. Univ. 4/138, 52